

los, sed & gentes scribit, quæ certe illud axioma generale,  
*Nemo vos dijudicet in cibo*, non poterant de cibis Mosaicis tan-  
tum accipere; quin de gentium cibis præcipue sonare inde  
constat, quod Judæi conversi, præcipue gentium negligen-  
tiam in ciborum delectu arguebant, in quo certe sanguinis  
esus eminebat. Ita etiam de solis idolothytis Paulum lo-  
qui, dicendum non est, cum præterea sine sanguine illa non  
fuerint. Et quomodo negari posset, Apostolum *I. ad Ti-  
mooth. IV.* non agere de sanguine, quia de futuris vaticine-  
tur ultimisque temporibus; quidam peccabunt abstinendo  
a cibis, quos DEUS creavit ad sumendum cum gratiarum  
actione; nonne qui statim ita impingebant in concessam  
Christianorum libertatem peccati illius rei tenebantur? Excu-  
sabunturne Manichæi, Tatiani, Priscillianistæ, Encratitæ,  
quod in ultima tempora non inciderunt? Quam evidenter  
vero sunt verba Apostoli, quanto ambitu elidunt omnes  
exceptiones? *Quicquid DEUS creavit, bonum est, nihil rejicien-  
dum, si cum gratiarum actione accipiatur.* Sanctificatur enim  
per sermonem DEI ac precationem. Anne sanguinem DEUS  
non creavit? anne bonus non est? anne accipi nequit cum  
gratiarum actione? anne per preces nequit sanctificari?  
An credi potest, Apostolum adeo generaliter loquendo  
voluisse subintellecetas illas exceptiones? næ male consu-  
luisset suo Lectori auditorive. Certe dum lex cæremoni-  
ialis mandabat abstinentiam a certis cibis, ita generaliter  
nemo prophetarum loqui poterat; quousque igitur sub  
Novo etiam instrumento subfuisset exceptio sanguinis per  
necessitatem interdicti, falsæ fuissent generalissimæ de sub-  
lato omni delectu locutiones.

## CAP. V.

### SUMMARIA.

*Clasfis II. ex antiquitate Ecclesiastica petita. Cui ebulven-  
dæ regula generales proponuntur. Expenduntur spe-  
cialia objecta.*

Qvæ